THESES PHILOSOPHICÆ,

Quas *Collegii* MARISCHALLANI, *Universitatis* CAROLINÆ ABREDONENSIS, Laureæ Magisterialis CANDIDATI, A. P. D. O. M. ad diem 3. *Junii*, horis & loco solitis propugnabunt.

Præside GEORGIO PEACOCK.

Videmus opiniones fictas atque vanas, diuturnitate extabuisse ---- opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. Cic. de Nat. Deor. lib. 2.

ABREDEIS, Excudebat IOANNES FORBESIUS, URBIS & UNIVERSITATIS Typographus, *Anno Dom.* 1697.

C

AMPLISSIMO, GENEROSISSIMO & PERHONORIFICO JUVENI,

D. DAVIDI RAMSAY,

à BALLMAIN, Equiti Baronetto, Baroni de *Faſque*, *Eſslie &c.* Ex inclytâ & antiquâ proſapiâ, de Rege & Republicâ optimè meritâ oriundo, in ſtativis noſtris Philoſophicis, quondam Primipilo chariſſimo, nunc Mæcenati munificentiſſimo, magnoperè ſuſpiciendo & ſummè honorando.

Theſes haſce Philoſophicas in deditiſſimi affectûs & perpetuæ obſervantiæ teſſeram. D. D. C. Q.

GEORGIUS PEACOCK PRÆSES,
Et hi CANDIDATI,

ALEXANDER RAMSAY,
Andreas Gray,
Carolus Roſe,
David Carnegie, *de Craigo*,
Franciſcus Frazer,
Georgius Abernethie,
Guliel mus Clark,
Jacobus Greig,
Jacobus Laſlie,
Jacobus Rait *de Halgreen*,
Ioannes Anderſon,
Ioannes Dempſter,
Ioannes Milne,
Ioannes Thomſon,
Ludovicus Reid,
Thomas Paterſon,
Thomas Paul,
Robertus Thomſon *de Fiddes*,

THESES

THESES PHILOSOPHICÆ.

PEr retroacta Secula, quidam magni nominis Philoſophi, faſtu & tumore vano, de naturâ tanquam planè compertâ & cognitâ, *Dogmaticè* pronunciarûnt: alii cum *Scepticis* & *Phyrronicis* olim, nihil prorſus ſci i, vel nuper cum *Carteſio*, ex incertâ quadam animi fluctuatione, de omnibus, ſemel in vitâ eſſe dubitandum, & nullo certo indicio, ſomnum a vigiliâ, diſtingui poſſe affirmabant. Sed cavendum eſt, non minùs à nimiâ dubitandi prurigine, quàm ab aſſentiendi levitate; & duplici hoc Philoſophorum exceſſu ſepoſito, qui eſt veritatem inveſtigaturus, & ſanæ Philoſophiæ fundamenta vult ſtabilire; in ſeipſo compertum iri deprehendet, cum *Dom*: *Poiret*, *meth*: *inven*: *ver*: Primarias quaſdam veritates, de quibus, ante & ſupra omnem demonſtrationem, ſe cum aliis convinci neceſſarium eſt; inter quas omnium prima eſt hæc, *Vivida conſcientia animi & corporis*. Vel quòd, in unoquoque ſit anima intelligens, unita Corpori, cui multa alia adſunt corpora, eam per ſuum afficientia: ubi & in *Tract*: *de erud*: *Solid*: *& Superf*: plurima veritatis inquiſitioni, congrua proponuntur, ſi ab inutilibus, utilia ſegregentur. Rejicienda itaque eſt *Dubitatio Carteſiana*, tanquam ridiculoſa & minimè neceſſaria, ad veritatem inveſtigandam; cùm certi ſimus, ex conſcientiæ teſtimonio & innatis Principiis, de rebus pluribus, quas revocare in dubium, ſummæ foret ſtultitiæ & dementiæ.

II. Ex facultate intelligendi, quam Deus menti indidit, *Logica* ortà cum aliis ſcientiis, originem hauſit; quam bene definierûnt Philoſophi, quod ſit, *Ars bene cogitandi*, *ſeu ratiocinandi*, cujus varias formas excogitarûnt antiqui, inter eas celebris erat, nuper à *Joh*: *Cler*: excultа, quam *Socraticam* dicebant, cujus author erat *Zeno*, quem *Socrates* & *Plato* ſequuti ſunt qui interrogando & Reſpondendo, ſententiam ſuam, ſub Dialogorum formâ interponebant: *Eriſtica* etiam, ſeu *Contentioſa* dicebatur, quam Philoſophi tanquam ſcientiis inutilem rejecerunt. *Platonem* inſequutus eſt *Ariſtoteles*, qui Dialecticam tractandæ Philoſophiæ formam immutavit, & artificium ſyllogiſmorum vel

primus invexit, vel certo ordine diſpoſuit. Syllogiſmus licèt exactiſſimis tyronum ingeniis, & vulgaribus ſcientiis addiſcendis ſit admodum utilis, ipſi tamen ad veritatis inquiſitionem, in rebus naturalibus, præferenda eſt inductio; utrique verò, in hominum colloquiis & publicis negotiis, præſtat Epicherema.

III. Inter primarias mentis humanæ veritates, ea occurrit, quam unuſquiſque apud ſe reperit, nempe Deum eſſe, cujus exiſtentiam probat, tum character, quem ſui, indidit Deus menti; & qui hunc conſequitur, univerſalis omnium Hominum conſenſus; tum univerſi hujus mirabilis ordo & diſpoſitio. & licèt non affirmaverim neminem eſſe, qui *Proleſſin* hanc naturalem, vel inſitâ nequitiâ vel depravatâ conſuetudine corruperit, attamen innata hæc Dei notitia, à mente humanâ, in univerſum removeri nequit: veritati huic, invitum teſtimonium ſuppeditant Impii, *Qui in Corde ſuo dicunt, quod non ſit Deus*, quorum animus, perpetuo vindictæ divinæ metu, affligentis conſcientiæ morſibus & mortis formidine inquietatur: hinc Memorabile eſt illud *Cottæ*, de *Epicuro*, *nec unquam vidi, qui magis ea, quæ timenda eſſe negaret, timeret, mortem dico & Deos. Cic. de nat: Deor:*

IV. Peranguſta admodum, & finita res eſt mens humana, & nihil revera comprehendit: inter ipſa entia naturalia, multa ſunt, quorum certa eſt exiſtentia, modus autem exiſtendi, eſt planè incognitus: Diviſionem materiæ omnes agnoſcunt, diviſibilitatem in infinitum, vel ſaltem in indefinitum, demonſtrant *Geometræ*, probant *Philoſophi*, eam tamen, capere nequit animus; nempe in Grano arenæ, tot partes, ſecundùm proportionem minores, ac in integrâ maſſâ corporeâ includi. Æternitas, fluxus & refluxus maris, affectiones unitatis & trinitatis in numeris, à mente non complectuntur: *Phænomena* item *Magnetis*, qui uno extremo, acûs cuſpidem attrahit, alio repellit; armatus, ſeu corpore medio involutus, plus inermi valet, & in partes diviſus, plus ferri, quam integer attollit; idem producit & deſtruit; qui minor, quandoque in ponderibus elevandis, majori præſtat; contraria in ſe contrariis amica & eidem amica, inimica inter ſe, recipit. Hæc & plurima alia, in rebus naturalibus, agnoſcunt Philoſophi, non tamen comprehendunt; vitio igitur & abuſui rationis, vertendum eſt, quod *Sociniani & Deiſtæ*, nihil in Dei naturâ admittant, niſi quod animo complectuntur. *Si enim Deus de ſeipſo, vel aliis aliquid revelet, quod naturales*

naturales ingenii vires excedat, qualia jam ſunt myſteria incarnationis & Trinitatis, non recuſabimus illa credere, quamvis non clarè intelligamus, nec ullo modo miraremur, multa eſſe tam in immenſa ejus naturâ, tum etiam in rebus ab eo creatis, quæ captum noſtrum excedant. Cart. Princ: Phil: Par: 1a.

V. Inter monſtroſos mentis humanæ partûs, occurrit horrendum & averſandum illud *Hobeſii* dogma, quod nulli ex ſtant ſpiritûs, cùm in unoquóque homine, detur anima ſpiritualis & immortalis, cujus immortalitatem ſuadet immaterialitas, immaterialitatem ſuadent actûs reflexi, correctio errorum imaginationis & profundæ mentis ſpeculationes: eſſe etiam in Mundo, præter mentem humanam, ſpiritûs alios creatos, tum Ethnicorum oracula, & quæ in *Energumenis* ſunt ſpectra, aliique effectûs varii demonſtrant. Et quamvis ſpiritûs illi, ſub variis animalium formis appareant, voces, ſtrepitûs & motûs alios excitent, ipſos tamen hæc, non tam in corporibus aſſumptis præſtare conſtat, quàm quòd ſenſus noſtros afficiant, eum in modum, quô ab illis objectis commoveri ſolent, cùm ab uno ſaltè non autem aliis præſentibus, talia percipiantur phantaſmata Spiritus eſt ſubſtantia immaterialis, actionum ſuarum conſcia; ejus eſſentia, in actuali cogitatione conſiſtit Mens humana, intimè unita eſt corpori. Unio hæc conſtituitur, in reciproco commercio cogitationum unius, & motuum alterius. Anima, non eſt tota in toto corpore &c. Ut vult *Ariſt.* Sedes ejus non eſt extra cerebrum, neque in toto cerebro; non in glandula pineali, ut vult *Cart.* ſed in parte eâ, quâ commercium eſt, inter cerebrum & cerebellum.

VI. Quanquam *Sceptici* olim. & nuper *Deiſtæ*, naturale diſcrimen, inter bonum & malum rejecerint, ſtatuentes bonum & malum, eſſe nomina fictitia, quæ vim & originem, ab educatione, conſuetudine, vel diſciplinâ trahunt. Attamen diſcrimen eſſentiale, inter bonum & malum, menti adeo inſitum eſt, ut ab eâ removeri nequeat: cum exoratur a naturali obligatione, quâ homo antecedenter, ad omnem conſuetudinem vel diſciplinam, rationi & lumini naturali, obſequium præſtare tenetur: à publico conſenſu, omnium gentium & nationum; & ab ipſo publicæ ſocietatis & regiminis ordine: nulla enim eſt natio tam barbara, nulla vitiis adeò dedita, quæ non homicidas, parricidas furtum & rapinam averſetur, cùm hæc non addiſcantur, ſed lumine

naturali innoteſcant, & cordis tabulis inſcribantur. Dantur igitur in hominibus, certæ quædam & immutabiles ideæ boni & mali, quibus juſta ab injuſtis, à turpibus honeſta diſtinguimus, quarum norma & regula, eſt recta ratio, ſive congruentia debita, cum naturâ rationali Dei; virtus eſt actio libera, extra omnem cæcam neceſſitatem & naturæ impulſum edita, quæ nec in *Stoicorum Apathiâ*, vel mediocritate *Ariſtotelicâ* conſiſtit, ſed in conſtanti & firmo propoſito, ea omnia faciendi, quæ recta ratio optima eſſe Judicaverit.

VII. Indefeſſis recentiorum laboribus, Mundi pars Corporea, meliori jam Phyſiologiâ, quam ab Antiquis illuſtrari cœpit, ſepoſi is enim *Ariſtotelicorum* materiâ primâ, formis ſubſtantialibus & qualitatibus occultis, & ſolido Philoſophiæ fundamento poſito, Mechanica corporum naturalium Principia, ſtatuminantur Philoſophi, nempe materiam & motum, unà cum magnitudine, ſitu, figurâ, aliiſque corporum diſpoſitionibus. Materia eſt Principium paſſivum, cujus eſſentia conſiſtit, in extenſione ſolidâ. Falſum itaque eſt illud *Carteſianorum*, materiam, corpus & extenſum reciprocari: cum diſcrimen ſit, inter corpus Phyſicum & Mathematicum; atque vacuum non ſit omnino Impoſſibile; & extra Univerſi ambitum, ſpatia exiſtant Imaginaria. Motus eſt Principium activum, qui non eſt de eſſentiâ materiæ, ſed à Deo op. max. in primâ Creatione, ipſi Imprimebatur. Eadem motûs quantitas, non perpetuò conſervatur in Mundo, ut vult *Cart.* quia licèt Deus ſit cauſa omnis motus, qui eſt in Mundo, hoc tamen non Impedit, quò minùs, motus aliquando augeatur, aliquando Imminuatur, vel ab ipſo Deo, in motibus miraculoſis, qui ordinarias naturæ leges excedunt, vel a ſpiritibus, quibus Deus vim tutem corporum motricem conceſſit. Motus, eſt ſimpliciſſima Corporis modificatio, atque ſecundùm *Fac. Kohault.* Per experientiam, ſive corpus aliquod motum, clariùs, quam definitione ullâ illuſtratur: vulgares itaque motûs definitiones tanquam obſcuræ, vel falſæ ſunt rejiciendæ. Determinatio motûs in corpore, eſt diſpoſitio, quam habet in unam potiùs, quàm aliam partem movendi. Determinationis Immutatio, accidens mobili, ob alterius occurſum, quod penetrare non valet reflexio, corpori verò accidens, ex uno in aliud medium tranſeunti, in quo faciliorem vel difficiliorem tranſitum invenit, refractio appellatur. omnis motus eſt localis; neque eſt ullus violentus

VIII. Ex

VIII Ex Principiis his Mechanicis, mirâ facilitate, explicantur Philoſophi, varia naturæ phænomena, nempe luminis, ſoni, aëris aquæ &c. Lumen ſecundùm *Neutonum*, eſt confuſa, radiorum heterogeneorum mixtura; Colores verò, a ſolâ radiorum refrangibilitate intrinſecâ dependent. A partium corporis texturâ, unam radiorum ſpeciem, majore copiâ, quam aliam reflectentis, omnem colorum varietatem exoriri, variis experimentis confirmavit *Rob. Boyle*. ſonus eſt aëris motus, tremulus & undulans. Ejus vehiculum, eſt partim aër externus, partim ætherea ſubſtantia, aëre ſubtilior: & ſecundùm calculum *Merſenni*, ſpatio ſecundi, 230 hexapedas, ſeu 1380 pedes conficit. Aër eſt corpus grave & elaſticum, omnis aëris & fluidorum attractio, eſt pulſio. Motus, qui fugæ vacui ab *Ariſtotelicis* adſcribi ſolebant, ab aëris gravitate & elaſticitate dependent. Partes aquæ Superiores, gravitant in Inferiores. Aqua maris, eſt gravior aqua dulci. Aqua in antliis, altiùs elevari nequit, quam ad altitudinem circiter 32 pedum.

IX Nihil eſt, quod magis terſit Philoſophorum ingenia, quàm Gravitatis phænomenon; *Peripatetici* gravitatem & levitatem per qualitates explicant: cuilibet nempe gravi, inſſe qualitatem, quâ terram appetat. *Epicurei* terram magnetis adinſtar, corpora gravia deorſum trahere aſſerebant. *Carteſiani* verò, gravitatis Principium, à materiæ cujuſdam fluidæ preſſurâ, oriri ſtatuunt. Et nuper *Ioh. Clericus*, maximo animi candore, gravitatem eſſe Philoſophis planè incompertam aſſeruit. Sed cùm omnium rerum materialium phænomena, dependeant à Principiis mechanicis, ſi in re ardua, utcunque ſenſibus obviâ, conjecturæ locus ſit, concludere licebit, cum *Alphonſ. Borelli* Gravitatem oriri, à vi quadam univerſali, impreſſa à Deo, omnibus Corporibus ſublunaribus, quâ ſe mutuò amplectuntur, & nituntur terræ adhærescere, donec in ejus centro, vel æquilibrio cum aliis corporibus circa idem centrum commune quieſcant. Omnia itaque ſublunaria ſunt gravia, & nulla datur poſitiva levitas.

X Mundus eſt compages è cœlo & terrâ, & quæ in iis continentur corpora mentario. Ejus tanta eſt præſtantia, ut quicquid Rhetorica laudat, aut Philoſophia miratur, ejus ſit portio, tam mira fabrica, ut amplitudo certet cum pulchritudine: non igitur productus ſit, ex fortuito atomorum concurſu, ſecundùm *Epicureorum* delirantium inſomnia,

neque

neque ſecundùm *Lucan. Ocell. Ariſt.* & infelices horum ſequaces *Deiſtas*, ab æterno extitit, cùm præter invicta argumenta in contrarium, è Metaphyſicâ & ratione deducta, non pauca in ſe contineat novitatis ſuæ indicia; ſive conſideremus, artium & ſcientiarum initia & progreſſus, ſive hominum, animalium, lapidum, pulvinorum, ſeu inſularum, in oſtiis fluminum, *Nili*, *Danubii* &c. emergentium, numerum finitum; ſive rationes alias Phyſiologicas, quas illuſtrarûnt *Gul. Nicolls Anglus*, *in Dial. cum Deiſta*, & *Jac. Abladie Gallus*, *in Vindicat. Relig. Chriſt.* In tempore itáque, fuit a Deo creatus; eſt finitus atque limitatus; dividitur in cœlum & terram; cœli ſunt fluidi & non ſolidi, pro quorum diſpoſitione, ordine & motu illuſtrando, Philoſophi varias excogitarûnt hypotheſes; perplexa & intricata eſt *Ptolemaica*: ea autem quæ *Copernici* dicitur, cum ſit minùs perplexa & intricata, eſt admittenda, ni *Scripturæ Sacræ* repugnaret.

XI. *In diſciplinis Mathematicis, plurima paſſim occurrunt, quæ improviſâ novitate, voluptatem & admirationem pariunt; inter præcipuas autem Matheſios partes, propoſitiones* Geometricæ, *ſunt omni elogio majores; hinc angulus contingentiæ, nullam partem auferr, ab angulo recto, ex Diametro & tangente facto, nec in ratione anguli, eſt quantus vel menſurabilis. Parallelogramma ut & triangula, ſuper eadem baſi, vel æqualibus pluribus, & in iiſdem parallelis conſtituta, inter ſe ſunt æqualia; triangulorum tamen, dupla ſemper ſunt parallelogramma: inde ſequitur finitum minimum, æquari poſſe producto in infinitum; & in* Chorographicis *& re agrariâ, non ex æquo judicium ferri, ex ambitu præciſè ſumpto, etenim eo majori exiſtente, minor ſæpè eſt area. Circulus maximus ſphæræ, circulum minorem inæqualiter ſecat, niſi per polos majoris tranſeat. In ſphæra obliqua, extra Tropicos* Azimuth *orientis, omnes parallelos ſolis inæqualiter ſecat; in ſphær. rectâ, Sol extra Æquatorem, non ſecat hunc* Azimuthum. *In ſphæra obliqua, intra Tropicos, multis diebus, Sol hunc* Azimuthum *non attingit: attamen ſolis motus, eſt uniformis & æqualis: fallitur ergo vulgus in eo, quod ſolem quotidie horâ ſexta,* Azimuthum *orientis ecare opinetur. ambitus terræ habetur, cognito ſemel uno ipſius Gradu in milliaribus aut ſtadiis. Diameter ex montium duorum, ad aliquod intervallum, diſſitis cacuminibus. per Meridianos & Parallelos latitudinum, d terminatur longitudo loci, ut & latitudo ex elevatione poli. Hæc & quædam alia Geographica & Aſtronomica, tu gladiatriba, (cum bono Deo) illuſtrabunt Candidati.*

FINIS.